HONORIUS AUGUSTODUNENSIS. AUGUSTINUS
12. bis 13. Jh. Seite 241r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26550
Copyright: Admont, Benediktinerstift



cupientes mortui. Quot quot enim tangebant ab omni
languore salui fiebant. Cuncti itaque manus et uoces
tulerunt ad sidera glorificantes dominum qui facit mirabilia. Vix
tandem corpus cum multo labore per multitudinem ad ecclesiam
est perlatum. Quod .vii. diebus et minus et laudibus mansit in
humatum. Nam undique turbe populorum confluebant. sanctum
corpus contingere cupiebant. de quo mira flagrantia suauis
simi odoris hauriebant. et depulsa ad uersa ualitudine
omnes de percepta sanitate gaudebant. Demum cum magnifi
co honore carnis materia terre mandatur. anima exultans
in celis omnibus se inuocantibus opitulatur. Hec karissimi cum
omnibus sanctis petamus ut conuiue dei esse ualeamus. atque cum
ira eius in breui super nos exarserit. quo in furore suo
omnes impios turbabit. nos dominus salus excipiat. et super populum suum
dominus benedictio ueniat. Quam oculus Dominica.

PRECEPTOR .v. Cap. lxx vi.

Per totam noctem laborantes nichil cepimus. in
uerbo autem tuo laxabo rete. Sanctus itaque petrus per to
tam noctem in piscatione laborans nichil cepit. in uerbo
autem domini laxans rete. multitudinem piscium conclusit.
Ita nos cum uiciis et peccatis in tenebratis predicamus. quasi
in nocte frustra laboramus. Et ideo nichil capimus.
sed uerba in cassum fundimus. quia in mirum sermo dei in